

« Vobis omnibus precamur sacrum principatum omnibus modis salvum et incolumem esse. » Præcipue notari debent concilia provinciarum Turonensis, Remensis, Rothomagensis, Tolosanæ, Albiensis, Bituricensis. Concilium IV province Burdigalensis Pietavi celebratum, anno 1839, declarationi Pii IX supra relatæ fortiter adhæsit et ejus decretum ab eodem Pontifice amplissime fuit approbatum et laudatum.

Ex quibus omnibus sequitur, principatum civilem divinæ providentiae ordinatione statutum Romano Pontifici sensu supradicto esse necessarium.

*Confirmatur* propositio hoc facto, quod, cum territorium pontificium vi et armis fuit ditioni legitimæ subtractum, catholicis nationibus, et etiam quibusdam heterodoxis, plenam libertatem Pontifici Romano in suo ministerio implendo vindicantibus, usurpator protestationes undique exsurgentes compescere conatus est, obtinendo a legislativa potestate legem quam securitatis dixerunt, qua sanctum est Pontifici regales honores deferendos esse, ejusque libertati tuendæ gubernium novum invigilarum esse. Quomodo fuerit impleta, seu potius spreta hæc obligatio, omnes norunt; sed ex hoc facto deducitur communiter agnitam fuisse necessitatem plene libertatis et independentiæ summi Pontificis. Porro nunquam erit a quavis sacerdotali potestate omnimode independens, nisi principatus civilis omnibus regibus et principibus fecerit eum æqualem. Ergo.]

## DISSERTATIO VI

## DE CONCILIIS GENERALIBUS

## ARTICULUS I

*Quid et quotuplex sit concilium?*

[Concilii nomine idem significatur in Ecclesia quod nomine comitiorum in regno. Quemadmodum enim, cum oritur controversia de rebus bonum reipublicæ spectantibus, convenient in unum principes regni vel magistratus, aut deputati a populo electi, ut statuant quid facto opus sit; ita, cum dirimenda est controversia aliqua suborta in Ecclesia de rebus spectantibus ad religionem, convenient præsules ecclesiarum particularium, et simul collatis sententiis, statuunt quod bonum videtur. Ita actum videmus ab Apostolis, *Act.*, xv, ubi cœperunt concilia christiana celebrari, ac deinceps singulis sætibus.

Nomen latinum *concilii* invenitur passim in Testamento veteri et novo, pro congregationibus Judæorum, sed nomen græcum, id est σύνοδος, non reperitur in Scripturis; ubi enim latine legimus concilium, in græco textu ubique est συνέδριον vel συναγωγή. Apparet autem primum synodi nomen in canonibus Apostolorum, can. 36, ubi jubentur episcopi singulis annis bis concilia celebrare; deinde legitur apud Eusebium, lib. V *Hist.*, c. 23, ac deinceps in omnibus authoribus.

Potest definiri concilium: « Congregatio personarum ecclesiasticarum, præsertim episcoporum, legitima auctoritate convocata, ad statuendum quæ spectant religionem moresque Christianorum. »

Usum conciliorum habemus, ut dictum est, ab Apostolis, estque probabile eorum institutionem esse divinam, tum ex eo quod dicitur, *Matth.*, xviii, 20: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*; tum

quia verisimile est Apostolos, vel ex præcepto Christi, vel ex speciali motione Spiritus sancti celebrasse primum concilium, quod fuit norma sequentium, et in quo illis dicere licuit, *Act., xv, 28 : Visum est Spiritui sancto et nobis.*

Sunt autem quatuor genera conciliorum, scilicet generalia, nationalia, provincialia et diœsesana. Generalia dicuntur ea ad quæ convocantur et quibus interesse possunt et debent totius orbis episcopi, nisi legitime impediantur, et quibus nemo recte præsidet nisi summus Pontifex, aut alias ejus nomine. Inde dicuntur etiam œcumeneica, id est orbis terræ concilia. In conciliis nationalibus conveniunt archiepiscopi et episcopi unius regni vel nationis, quibus præest aliquis patriarcha vel primas. Talia fuerunt multa concilia Romana, Toletana et Africana, de quibus notandum est quod, licet a generalibus et provincialibus distinguantur, utrorumque tamen nominibus interdum appellantur, respective ad nationem vel regnum. Provincialia proprie dicuntur, in quibus conveniunt tantum episcopi unius provinciae ecclesiastice, quibus præest archiepiscopus seu metropolitanus. Diœsesana sunt in quibus conveniunt tantum presbyteri unius episcopatus, et iis præest episcopus, qui solus jurisdictione potitur. Non ordinarie hujusmodi cœtus concilii nomine decorantur, sed synodi vocantur, et a conciliis differunt in eo quod presbyteri non ut judices sedent, et vocem non decrivam, sed tantum consultativam habent.]

## ARTICULUS II

*Utrum necessaria sint concilia generalia?*

[Constat apud omnes concilia, præsertim generalia, esse Ecclesiæ utilissima, idque declarat Paulus III in bulla inductionis concilii Tridentini, dicens : « Animo repetentes, maiores nostros sapientia admirabili et sanctitate præditos, sæpe in summis Christianæ Reipublicæ periculis remedium optimum atque opportunissimum œcumenia concilia et episcoporum generales conventus

adhibuisse, ipsi quoque animum ad generale habendum concilium adjecimus. » De sola ergo absoluta necessitate est hic controversia, 1<sup>o</sup> contra haereticos, qui, ut condemnationem sibi imminentem vel adversus eos a Pontifice Romano pronuntiatam eluderent, sicut accidit in causa Jansenismi, ad concilium generale provocare non dubitaverunt ; 2<sup>o</sup> contra eos qui, inter catholicos, contendunt concilia generalia necessario frequentanda esse, quia Papa solus, sine concursu episcoporum, non potest sufficienter bono regimini Ecclesiæ providere. Unde

Dico 1<sup>o</sup> : Concilia generalia non sunt simpliciter necessaria.

Prob. 1<sup>o</sup> Illud non est simpliciter necessarium Ecclesiæ, quod ad ejus regimen non essentialiter pertinet. Atqui concilia generalia ad Ecclesiæ regimen non essentialiter pertinent. Ergo non sunt simpliciter necessaria. — Major patet. — Prob. min. Petro ejusque successoribus Christus contulit omnem potestatem et autoritatem necessariam ad regendam Ecclesiam, cum Petro dixit, *Ioann., xxi, 15 et 17 : Pascœves meas. Et Matth., xvi, 18 et 19 : Tues Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam... Et tibi dabo claves regni cœlorum, etc.* Atqui his similibusque verbis Petrus constitutus est rector supremus Ecclesiæ, eique collata fuit plenitudo potestatis ad regendam monarchice Ecclesiæ vice et nomine Christi. Ergo, cum potuerit Petrus et Papa possit facere quæcumque ad regendum populum Christianum requiruntur, concilia generalia non pertinent essentialiter ad regimen Ecclesiæ.

2<sup>o</sup> Illud non est simpliciter necessarium Ecclesiæ, sine quo mala maxima extingui possunt et fuerunt extincta. Atqui maxima mala sine conciliis generalibus extingui possunt et fuerunt extincta. Ergo concilia generalia non sunt simpliciter necessaria. — Prob. min. Ante concilium Nicænum, id est per trecentos annos et amplius, variae exortæ sunt haereses nataque schismata a Montano et Novatiano conflata. Porro hæc sunt maxima mala quibus affici possit Ecclesia. Atqui sola autoritate Romanorum Pontificum et episcoporum eorum decisiones exsequen-

tum extincta fuerunt hæc mala. Ergo. Unde Augustinus Pelagianis conquerentibus se ab episcopis simplicibus, « sine congregatione synodi, » fuisse damnatos, respondet, lib. IV *contra duas epist. Pelag. ad Bonif.*, c. 12, n. 34 : « Numquid congregatione synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur ? quasi nulla hæresis aliquando nisi synodi congregatione damnata sit : cum potius rarissime inveniantur propter quas damnandas necessitas talis extiterit, multoque sint atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt. Verum istorum superbia tantum se extollit adversus Deum,... ut propter illos Orientis et Occidentis synodus congregetur... Cum potius vigilantia et diligentia pastorali, post factum de illis competens sufficiensque judicium, ubicumque isti lupi apparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur atque mutantur, sive ut ab aliorum salute atque integritate vitentur, adjuvante Pastore pastorum, qui ovem perditam et in parvulis querit, etc. » Hinc etiam Facultas Parisiensis, Jansenistis ad futurum concilium a constitutionibus dogmaticis Pontificis Romani appellantibus, hanc declarationem edidit die 9 febr. 1663 : « Necessarium non esse absolute concilium generale ad extirpanda quælibet schismata et quaslibet hæreses, v. g., Pelagianam et Jansenianam, quas constat sufficenter extinctas absque concilio generali, quod tantum in aliquibus casibus est necessarium. »

*Confirmatur* factis historicis. Si ad extinguendas septem hæreses celebrata sunt septem concilia generalia, plus quam centum hæreses extinctæ sunt a sola Apostolica Sede, cooperantibus concilii particularibus, et si unum schisma sublatum est per generale concilium Constantiense, schismata supra quinque et viginti sine concilio generali fuerunt resecta. Ergo.

Dico 2º : Concilium generale est aliquando moraliter necessarium.

*Prob.* Concilium generale est moraliter necessarium, si absque tali concilio sit moraliter impossibile quod veritas

catholica perfecte in tuto ponatur et unitas Ecclesiæ omnino resarciantur. Atqui hoc contingere potest. Ergo. — Prob. min. ex factis. 1º Quantum ad doctrinam catholicaem, cum ariana pestis pene totum Orientem pervasisset, visum est concilii Nicæni congregationem esse medium aptius, quia solemnis, hæresim extinguendi. Ita factum est, cum hæreses subsequentes ita necessarium fuit explodere, ut ipsi principes christiani a Sancta Sede congregationem concilii efflagitarint, cuius rei illustre exemplum habemus in convocatione et celebratione concilii Tridentini. In hac nostra ætate, cum omnigeni errores ubique multorum animos invaderent, et in periculum conjicerent non tantum veritates revelatas, sed etiam rationem ipsam; cum aliunde nunquam magis necesse visum fuerit magisterium infallibile Pontificis Romani extra omnem dubitationem ponи, eo quod tam gallicanismi quam liberalismi fautores illud vel negabant vel parvipendebant : quingenti episcopi anno 1867 Romæ coacti, « summo gaudio fuerunt repleti, ut ipsi Pio IX solemniter testati sunt, dum e sacroto ejus ore intellexerunt, tot inter præsentis temporis discrimina eo illum esse consilio, ut maximum, prout aiebat inclitus ejus prædecessor Paulus III, in maximis rei Christianæ periculis remedium concilium œcumenicum convocaret. » 2º Quod ad unitatem Ecclesiæ attinet, cuncta quidem concilia generalia ei hæresibus labefactatae operam navarunt resarcendiæ, sed nullum aliud suppeteret videbatur medium hoc opus aggrediendi et ad felicem exitum perducendi, cum in decimo quinto saeculo diro et longo schismate dilaceraretur Ecclesia, quam concilium generale convocare, ut certus Pontifex eligeretur : quod Pisis incepsum, Constantiæ peractum est.

Ex hoc sequitur quod, quantumvis necessarium videatur concilium generale in quibusdam et transitorii adjunctis, ut medium extraordinarium bono Ecclesiæ providendi, hæc necessitas nonnisi raro contingere potest, et extra casum in quo certus Pontifex a tota Ecclesia non

agnoscitur, ad Pontificem Romanum, ut mox videbitur, de ea judicare et pronuntiare pertinet.

Quidam tamen, præcipue inter gallicanismi fautores, ulterius progressi, asserere non dubitarunt, Papam non sufficienter bonum Ecclesiæ procurare posse, etiam ordinarie, tum in decretis fidei edendis, tum in legibus disciplinaribus ferendis, nisi hæc omnia in concilio generali statuantur, et a Pontifice executioni postea mandentur; quasi ipse et solus potestate et autoritate supra doctrinali et legislativa non polleat. Inde concludebant, renovandum esse et observandum decretum quo concilium Constantiense, sess. xxxix, *de conciliis generalibus*, sanxerat, concilia generalia « deinceps de decennio in decennium perpetuo celebranda esse, » quod, aiebant, vim legis obligatoriæ obtinuit per approbationem Martini V, qui, sess. xliv, « cupiens ac volens decreto hujus generalis concilii satisfacere, » proximum concilium indixit in civitate Papiensi, ubi, Martino vita functo, ab Eugenio IV fuit celebratum. Hac via tantum, ut affirmabant, perfecte conciliari posset Romani Pontificis potestas cum juribus et autoritate divina episcoporum<sup>1</sup>.

Ex multiplicibus argumentis quibus potest hoc sistema refelli, sufficiat sequentia proponere.

1º Ut dictum est, concilium generale, ex natura sua, est medium extraordinariorum malis gravissimis quibus Ecclesia labefactari posset medendi, et hæc mala nec frequenter nec temporibus æque distantibus accidere possunt. Ergo extraordinarie tantum ad concilium generale est recurrentum. Ergo periodicitas et decennalitas naturæ concilii generalis non congruit.

2º Qui contendebant concilium generale sepe frequentandum esse, hoc asserebant quia, in eorum sententia, 1º cum suprema authoritas Pontifici soli non competat, sed corpori pastorum, id est collective Pape et episcopis,

1. Cfr. Maret, episc. Suren., *Du concile général et de la paix religieuse*, lib. V, c. 5. Post concilium Vaticanum, author ipse suum opus laudabiliter suppressit.

ita ut nullus actus ad regimen Ecclesiæ spectans absolutus et definitivus evadat, nisi ex concurso duorum horumce elementorum<sup>1</sup>, nisi Papa sua decreta ratificatione episcoporum in concilio proponat, eorum authoritati detrimentum afferat; 2º quia definitiones pontificiæ, in materia fidei et morum, non essent irreformabiles nisi accidente consensu Ecclesiæ, id est episcoporum, ut fert Declaratio Cleri Gallicani anni 1682, et hic consensus solemniter, expeditius et certius in concilio generali praestaretur. — Ad hæc resp. 1º Summi Pontificis potestas est ordinaria in tota Ecclesia, et suprema, ut supra probatum est. Ergo ejus decreta sunt per se absoluta et definitiva. Ergo non indigent ratificatione episcoporum. Ergo, cum hanc supremam potestatem exercet, nullo modo lädit authoritatem episcoporum, qui, ex institutione Christi, sunt vere pastores suarum ecclesiarum, sub dependentia supremi Pastoris totius Ecclesiæ. Ergo, nedum authoritas episcoporum a Papa deprimatur, de authoritate Papæ hac assertione detrahitur. 2º Hæc doctrina, que nunquam fuit communis in Ecclesia, ex quo definitione solemnis a concilio Vaticano fuit confossa, formaliter hæretica habenda est, ut supra fuit probatum.

3º Quod ad decretum Constantiense de concilio generali singulis decenniis celebrando attinet, dicendum est, 1º quod opportunum videri potuit concilio ita decernere, ut si forsitan perseveraret schisma quod extingue conabatur, promptum esset medium supremum periculo Ecclesiæ providendi, et hæc dispositio necessitatibus transitoriæ respondebat. 2º Cum latum est istud decretum, sess. xxxix, cœtus episcoporum non erat concilium perfectum, quia extra authoritatem Pontificis congregatum, Pontifice certo nondum electo, vero et necessario suo capite carebat, et præter electionem Papæ, cui supersedere non licet, tali concilio jus non competitat ferendi leges ad ordinariam Ecclesiæ administrationem spectantes. 3º Equidem Martinus V, in sess. xli electus, statuit in sess. xliv

1. Ibid. et in fine tom. II, *Derniers éclaircissements*.

proximum concilium in civitate Papiensi celebrandum esse, « ut decreto hujus generalis concilii satisfaceret, » et ita prudenter agendum erat, ne scissio inter novum Pontificem et concilium cuncta in discrimen iterum conjiceret; verum non poterat a sua suprema potestate se abdicare, vi cuius ad solum Papam pertinet convocatio concilii generalis, quando et quoties ipsi necessaria et opportuna videtur. 4<sup>a</sup> Sessione XLV et ultima, Pontifex rogatus ut acta concilii confirmaret, qua petitione concilium agnoscebat nihil absolutum et definitivum esse ante confirmationem istam, ore proprio respondit, « se omnia et singula concilii in materia fidei conciliariter decreta tenere et inviolabiliter observare velle, et non aliter, nec alio modo; » quod per advacatum concilii postea iterari jussit. Porro decretum de periodicitate et decennalitate concilii generalis non includebatur in materia fidei, quæ principaliter spectabat condemnationem heresum Joannis Wiclefi, Joannis Hus et Hieronymi de Praga. Ergo decretum istud non fuit formaliter a Pontifice confirmatum. Addendum est quod, etsi haec confirmatio accessisset, talis legis executio relinquenda erat in posterum iudicio Papæ, qui, ut in precedenti dissertatione demonstratum est, est supra concilium, tam durante quam peracta celebratione. Insuper, de facto periodicas concilia non fuit postea observata, et incredibile est Pontifices veram legem eos stricte obligantem et bono regimini Ecclesiæ necessariam per quatuor saecula et amplius neglexisse.]

## ARTICULUS III

*Cujus sit convocare concilium generale?*

Dico: Solius est summi Pontificis certi et indubitati convocare concilium generale<sup>1</sup>.

1. Hie q. 1, a. 10, o; 1<sup>a</sup> p., q. 36, a. 2, ad 2; Opusc. 19, c. 4, ad fin.

*Prob. 1<sup>a</sup>.* Julius, epistola ad Orientales, apud Socratem, lib. II, c. 13, dicit: « Canon ecclesiasticus vetat ne decreta absque sententia Romani Episcopi ecclesiis sanciantur; » seu, ut legit Cassiodorus in *Hist. tripart.*, « non debere absque sententia Romani Pontificis concilia celebrari. » Refertur cap. *Regula citato*, dist. 17, huncque canonom, a Nicæna synodo renovatum scribit synodus Alexandrina, epist. ad Felicem Papam.

Pelagius II, epist. 1, c. 4, ad episcopos qui non convenierant ad convocationem Joannis Constantinopolitani dicit: « Multis denuo apostolicis, et canonicis, atque ecclesiasticis instruimus regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis concilia celebrari. » Refertur cap. *Multis*, dist. 17.

In concilio Chalcedonensi, act. I, Dioscorus prohibitus est sedere inter episcopos, « quia, inquit Patres, synodus ausus est facere sine authoritate Sedis Apostolicæ; quod nunquam licuit, nunquam factum est. »

Si dicas, ex his sequi quod nec diocesana aut provincialia concilia possint nisi a Romano Pontifice convocari, præsertim cum cap. *Nec licuit*, ead. dist. 17, Pelagius II dicat, nec synodum particularē sine authoritate Sedis Apostolicæ licere celebrare. Consequens autem non admittitur. Ergo.

*Resp.* quod jura et ipsimet Pontifices concedant, imo jubeant episcopis et archiepiscopis, ut particularia concilia celebrent, sieque non sine eorum authoritate celebrantur. Caput *Nec licuit*, loquitur de synodis particularibus congregatis contra universalem synodum. Patet ex rubrica, quæ sic est: « Absque Apostolicæ Sedis authoritate synodum particularē contra universalem aliquibus congregare non licet. »

*Prob. 2<sup>a</sup>.* Illi soli competit jus convocandi concilium generale, qui habet curam totius Ecclesiae et authoritatem in episcopos convocabos. Atqui is est Romanus Pontifex, ut patet ex disserr. præced. Ergo. — Maj. etiam constat; quia concilium generale spectat universam Eccle-

siam, et sine autoritate in episcopos, qua compellantur comparere concilio, frustranea et impotens foret convocatio.

*Dices* : Concilia orientalia ut plurimum convocata fuere auctoritate imperatorum. Ergo.

*Resp.* nullum concilium ex orientalibus convocatum fuisse sine saltem assensu summi Pontificis, consequenter sine ejus auctoritate. Quamvis enim, absolute loquendo, non sit idem auctoritas et consensus, attamen in eo qui habet auctoritatem aliquid faciendi, in illud consentire est ejus auctoritate fieri. Unde, cum sit penes solum Pontificem auctoritas convocandi concilia, ut probatum est, idem est respectu illius praebere consensum convocationi concilii, ac illud per alium convocare.

[Dixi in conclusione : « Certi et indubitati Pontificis ; » quia in casu schismatis, in quo forent dubii pontifices, ut tempore concilii Constantiensis contigit, posset Ecclesia per suos prelatos convocare concilium ad succurrentum praesenti necessitatibus, nimurum ad providendum sibi de certo Pontifice. Quod si ulterius aliquid definit in materia fidei et morum, aut in his quae spectant universam Ecclesiam, non erit ratum et firmum, nisi a sequente Pontifice confirmetur, ut jam antea dictum est.]

#### ARTICULUS IV

##### *De convocandis ad concilium generale et illius praeside.*

*Potes* 1º qui sint de jure convocandi ad concilium generale.

*Resp.* solos episcopos esse de jure vocandos ad concilium generale.

*Prob.* 1º. Ii soli sunt de jure vocandi ad concilium generale, qui habent jurisdictionem, non solum in foro interiori, sed etiam in foro exteriori ecclesiastico. Atqui soli episcopi habent hujusmodi jurisdictionem. Ergo. — Min.

constat ; non enim laici, cujuscumque sint conditionis aut dignitatis, etiamsi imperialis, habent jurisdictionem in foro exteriori ecclesiastico, cum sit spiritualis. Neque inferiores clerici, ut curati. Patet ex usu, et quia non sunt primarii et proprie pastores, sed, ut inquit Author 2<sup>a</sup> 2<sup>m</sup>, q. 184, a. 6, ad 2, « habent tantum aliquas subministrations sub episcopis, » quas ad nutum limitant episcopi. — Prob. maj. In conciliis generalibus non solum definiuntur simpliciter controversiae circa fidem, mores et causas privatas episcoporum, sed etiam feruntur leges, decernuntur pœnae et compelluntur contumaces obedire definitionibus et sententiis prolati. Hæc autem pertinent ad forum exterius Ecclesiæ. Ergo.

*Prob.* 2<sup>a</sup> ex usu Ecclesiæ, quæ non solet nisi episcopos de jure vocare ad concilia generalia.

*Dixi* : « De jure ; » quia quandoque ex privilegio summorum Pontificum vocantur Abbates et Generales Ordinum, cum jure suffragii decisivi, idque non incongrue, ut scilicet repræsentantes suos subditos ex priori privilegio a jurisdictione episcoporum exemptos.

[Cum de convocatione concilii Vaticani ageretur, acriter disputatum est, an ad illud de jure admitti deberent episcopi nullam diœcesim administrantes, qui olim *annulares* seu honorarii nuncupabantur, quamvis charactere episcopali insigniti ; tunc episcopi *in partibus infidelium* dicebantur, quia eorum sedes in regionibus non christianis sitæ erant ; nunc autem, ex decreto a Pio IX lato, *titulares* seu solo titulo fulgentes vocantur. Non pauci erant qui partem negativam tenebant, ex ratione quod episcopi in concilio sedent præcipue ut fidei suarum ecclesiarum testes. Sapientissimus Pontifex, prætermissa quæstione speculativa juris stricti, litem practice composuit, episcopos titulares cum episcopis diœcesanis simul convocando.]

Vocantur etiam theologi et canonistæ, non cum jure suffragii decisivi, sed ut res fidei et Ecclesiæ inquirant et

examinent, et sensus suos Patribus concilii referant. Item quandoque vocantur imperatores, non ut res Ecclesiæ definit, sed ut concilium defendant et adjuvent, atque decretorum sint testes et ea libentius ac efficacius mandent executioni, atque rebelles poenis coerceant.

*Potes* 2º quis episcoporum numerus requiratur ad concilium generale.

*Resp.* non requiri quod omnes omnino totius orbis episcopi adsint, alias nunquam possent celebrari concilia generalia; neque requiritur certus episcoporum numerus, quia id neque ex Scriptura, neque ex traditione, neque ex usu habetur. Sed requiritur quod convocatio autoritate summi Pontificis facta, omnibus, saltem majoribus provinciis, innotescat, et nullus ex toto orbe verus episcopus non excommunicatus excludatur, sed aliqui ex majori parte provinciarum adsint: sie tamen ut, si celebretur concilium in Oriente, plures ex Oriente adsint, et aliqui ex Occidente qui alias repraesentent, et e converso, si celebretur in Occidente. Patet ex praxi Ecclesie in anterioribus conciliis.

*Potes* 3º utrum episcopi in concilio sint vere judices, an consiliarii tantum.

*Resp.* ut jam prius dixi, non esse tantum consiliarios, sed vere judices, gaudentes jure suffragii decisivi, subordinatos tamen summo Pontifici.

*Prob.* 1º Apostoli in concilio Hierosolymitano, *Act.*, xv, 34, fuerunt veri judices. Dixerunt enim: *Visum est Spiritui sancto et nobis*, et Jacobus sub his verbis sententiam dixit, *ibid.*, 19: *Propter quod ego judico*. 2º Episcopi in conciliis subscribunt: « Ego N. statuens, » vel: « Ego N. definiens subscripsi. »

[Nec refert quod summi Pontifices soleant dicere: « Sacro approbante concilio, » vel: « De fratum nostrorum consilio; » quia equidem episcopi approbant et consilium dant, sed id non solum praestant, verum etiam judicant cum Pontifice. Dicit Pontifex, de eorum consilio, et non

judicio, quia consilium ab eis accipit, sed non judicium, nec judicandi potestatem, quam a solo Deo habet.]

Dixi: « Subordinatos tamen summo Pontifici; » quia summus Pontifex sedet in concilio, non ut simplex praeses, sed ut princeps. Principi autem subordinantur judices in senatu, ita ut non teneatur sequi majorem partem judicium, sed posset eorum judicium irritare.

*Potes* 4º cuius sit praesidere concilio generali.

*Resp.* solius summi Pontificis esse praesidere authoritative concilio generali, per se vel per suos legatos.

*Prob.* 1º Illius est authoritative praesidere concilio generali, cuius est praesidere toti Ecclesiæ, quam representat concilium generale. Atqui solius est summi Pontificis praesidere authoritative toti Ecclesiæ, cuius nimurum est caput, pastor et princeps, ut patet ex diss. preced. Ergo. 2º Illius est praesidere concilio generali, cuius est illud convocare, ut patet in conciliis diocesanis, provincialibus et nationalibus. Atqui solius est Pontificis convocare concilium generale, ut probatum est art. 1. Ergo. 3º Si tempore Christi celebrata fuisse synodus, Christus absque dubio illi praefuisse. Ergo id ejus Vicario competit.

*Prob.* 4º ex usu et praxi Ecclesiæ. Nullum huc usque celebratum fuit concilium generale, cui non praesederit summus Pontifex, per se vel per suos legatos. Ergo jus praesidendi Ecclesia constanter in eo agnovit.

[*Dices*: Imperatores saepe dicuntur praesedisse conciliis. Ergo.

*Resp. Dist. ant.* Imperatores saepe dicuntur praesedisse conciliis loco et honore, *conc.*; authoritative et potestate, *nego*. Vel dicuntur praesedisse ad protegendum concilium et servandum ordinem, *conc.*; ad definendum et statuendum in rebus fidei et ad disciplinam mere ecclesiasticam spectantibus *nego*.]